



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

4 Qui horum affectuum conuenia[n]t cuiq[ue] statui vitæ spiritualis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

lapsus. nam, vt est apud B. Matthæum, *exiit Matt. 26*
foras, & fleuit amarè. Sed & illud scire te vo-
 lo tristitiam nobis oboriri non solū ex ma-
 lo quod incurrimus, sed etiam ex boni, in-
 uentia cetera, & impedimentis obiectis, quo-
 minus bono sperato frui possimus.

*Qui horum affectuum conueniant cui-
 que statui vitæ spiri-
 tualis.*

C A P. I V.

NON dubium est affectum DOLORIS pro-
 prium esse Incipientium, quia versamur
 in via Purgatiua, cuius exercitium præfigu-
 ratum est in Iob quando vulneratus sede-
 bat in fimo. *Egressus, inquit scriptura, Sa. Iob. 2.*
tham à facie Domini, percussit Iob huncere pes-
simo à planta pedis & usq; ad verticem eius, quo
testa saniem radebat sedens in sterquilinio. vbi
 vox SEDENS significat longiorem moram, vt
 intelligat Incipiēs se, debere in sterquilinio
 mortificationis & purgationis suorū pec-
 catorum non breui tempore, sed longiori
 immorari, donec pœnitentiæ dolore om-
 nem superioris vitæ squalorem abraferit,
 perturbationesque animi pristinas, & malas
 O incli.

inclinationes coercuerit, prauosq; habitus extirparit.

PRÆTEREA indubitatum est GAVDII affectum esse proprium PERFECTORVM, qui merito post superatam horridam penitentia hyemem, primi veris amoenitate & florida æstate perfruuntur. PROFICIENTES, quoniam medium obtinent, merito nunc dolore se deprimunt, nunc gaudio extolluntur.

Si percundere quantum t. mpus tribuendum sit triplici illi vitæ, purgatiuæ, illuminatiuæ, & perfectiuæ? Respondeo, Purgatiuam durare, donec prauorum habituum, passionumq; inordinatarum vulnera, pus omne & sordes eiiciant. Cauere autem debet incipiens ne admodum dedat se aucupandis contemplationis solatiis, & delitiis, ni p. imum bene sit purgatus & nictus: quia exitus eius infestus, vt postea ostendemus. Deinde non expers esset temeritatis. *Humilis enim, inquit CAIETANVS in S. Thomam, non attentat inchoans ea, quæ perfectorum sunt, & multi incipientes in via Dei statim ad contemplationis quietem student volare. In quo non solum imprudenter,*

22. q. 161
art. 2.

sed superbe agunt, non mensurantes se ipsos, & vehementer errant, ac periculose. Debent enim prius domare proprias passiones, ac operationes exteriores, & post frequentes victorias in campo subactis hostibus, in montem quietæ contemplationis ascendere.

Non tamen existimandum est, superbe vel temere eum agere, qui conaretur eodem tendere, ordine debito seruato, ut si post viam purgati, iam confectam, progrediatur ad illuminatiuam, eaque decuria adspiret ad perfectiuam. *Vitiosum* esset, inquit S. Thomas, & presumptuosum, quod aliquis ^{22. q. 130} in actu imperfecte virtutis existens attentaret ^{art. 5. ad.} statim assurgat ea, quæ sunt perfecta virtutis. ^{1.} Sed si quis ad hoc tendat, ut proficiat in virtutem perfectam, hoc non est presumptuosum nec vitiosum. Et faciebat Apostolus, dicens. Quæ retro sunt obliuiscens, ad interiora me extendo, scilicet per continuum profectum. nempe de gradu in gradum saliendo, do- ^{Phil. 3.} nec pertingat ad fastigium. Atque ut notat ibi bene Caietanus, potest cum laude aliquis imperfecta licet virtute præditus aspirare ad exercendum actum intensum & magnum perfectæ virtutis, si propriæ industriae adsit virtus diuina. Addit S. Thomas

Deum nonnullis sanctis propter eximie sue
 conuersionis initium perfectam imperti-
 uisse caritatem, *quod est vinculum perfectio-
 nis*. Quales etiam subito potuerunt dul-
 ci Contemplationis gaudio perfrui, vt per-
 fruiti sunt. S. Antonius, S. Benedictus, S.
 Franciscus aliique multi sancti. Quisquis
 ergo initio conuersionis suæ simili cari-
 tatis dono dignus fuerit factus, poterit
 etiam se totum dare cœlestibus
 Contemplationis de-
 litiis,



T R A